



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



DEI GLORIAM 8.
IVRIS NATVRALIS PRINCIPIVM
OMNI MAIVS EXCEPTIONE

PRAESIDE

CHRISTIANO HANACCIO

I. V. D. IN ACAD. VITEMB. DIGEST. INFORT
ET NOVI PROF. PVBL. CVRIAE PROVINC
SCABINATVS ET FACVLT. IVRID

ASSESSORE


DIE XXI. NOVEMBER. MDCCCLIII

TEMPORE ET LOCO CONSVEITO

PVBLICE DISPVTATVRVS VINDICAT

CHRISTOPHORVS HENRICVS WOLF

ILEVRGENSIS MISNICVS



VITEMBERGÆ Google

EX OFFICINA SCHIOMACHIANA





DEI GLORIA
IVRIS NATVRALIS PRINCIPIVM.

§. I.

*Sine uero iuris naturalis principio ignoratur iustitia, et periclitatur
salus humani generis.*



EST iustitia salutis hominum stabilis munimen-
tum ac praesidium perpetuum firmissimumque,
sine quo illi iusto plus sibi tribuerent, denega-
rent aliis, gentesque gentium euaderent latro-
nes, ciues ciuium. heluonés. Contingat hoc
neceffe est, si omne id, quod utile est et conducere uidetur,
pro iusto quoque, quemadmodum arridet, reputetur. Infausta
haec utilis iniusti cum utili iusto mixtura et commutatio iusti-
tiam inter homines mirifice conturbat, misere confundit et affli-
git, ac tantum non prorsus tollit. Tristissimam hanc iustitiae
conditionem philosophi ueteres pariter ac iure consulti Romani,

et omnes recentiores, postulato hic honestatis temperamento, emendare frustra studuerunt, quoad, illos iuris diuini fundamento uero destitutos, scimus. Magnopere igitur interest iustitiae, qua officiorum hominum summa continetur, ut reponatur illa in integrum, ualeatque inter homines, ueluti summum ornamentum diuinum, et fulcrum salutis humanae, tandemque aliquando molimina iniustitiae optimorum legislatorum operam, curam et potentiam frustrari definant, et ius diuinum, quo imperia sustinentur ac fulciuntur humana, moderetur gentium actiones et consilia, idemque colatur religiosissime.

§. II.

Veteres, illud ignorantes, uersati sunt in tenebris, neque nostra aetate genuinum principium detectum est.

OBTINETUR uero iustitia, cum interna hominis, tum externa actionis, iurium ac legum obsequioso implemento, ut, praeter illam, nihil magis diuinum inter homines possit appellari. Communi hominum assensu et suffragio, uerissimum habetur, existere ius naturae, inditamque esse sanae rationi facultatem, illud perfecte ac facile cognoscendi atque ad ductum eiusdem agendi. Equidem fateor, multas hominum actiones morales ita fere comparatas esse, ut earum iustitia, uel iniustitia, omni carere dubio moxque in oculos incurrere uideatur. Sed multae eiusmodi gentium et sapientum, de iustitia, assertiones, sub

genuinae iustitiae examen missae, censuram haud ferunt. Huius rei contemplatio dudum excitavit sapientes, ut, ex indubitatis istis iustitiae, uel iniustitiae ueritatibus, uel, pro doctrina scholastica, de actionibus, in se et sua natura iustis aut iniustis, talia colligerent argumenta, quibus reliqua iuris naturalis capita, adhuc dubia, possent eruere ac definire. Hoc in primis modo ius naturae et aequitatem naturalem excolere studuerunt ueteres Icti Romani, honestatis potissimum ac publicae salutis ratione nixi, de genuino autem cognoscendi principio uniuersali inueniendo, nunquam cogitarunt, aut solliciti fuerunt, sine quo uere uersati sunt in tenebris, et ueram ignorarunt iustitiam. Contra uero, hoc et superiori iam saeculo, iuris naturalis cultores ex instituto et certatim id summo studio egisse, constat, ut reperirent propositionem aliquam fundamentalem, qua officiorum, hominibus iure naturae impositorum, indubia ueritas nexusque perpetuus et uniuersalis obsequendi necessitas facile possit euinci ac demonstrari, sine contradictione. Quo operosius, eruditiusque diuersi diuerso successu Mineruae palmam hucdum appetierunt, eo minus, de illa iamiam obtenta, gloriari posse, subdubitant. Variorum uarias examinare sententias, hic non attinet, hoc tamen monendum est, nullum illorum, quae haecenus excogitata sunt, iuris naturalis principiorum, id praestare, quod iure meritoque postulandum, neque horum aliquod tam euidentis ac tam facile intellectu

est, ut, quemadmodum par erat, ab illiteratis quoque, et uulgo sanioris mentis possit capi, sine multa doctorum hominum opera et ampla demonstratione. Etenim communis illa actionum, in quas cadit moralitas, humanarum regula ita comparata esse debet, ut et omnem iuris ignorantiam tollat et obsequii necessitatem humanae menti ingerat, omni excluso libero arbitrio, quo omnis iurium legumque subruitur ultus et autoritas. His rationibus initis, genuinae demum iustitiae, cum actionis, tum ipsius hominis et ciuis, consulatur optime, recreabitur respublica, gentiumque confirmabitur salus, stabilietur concordia, funesta uero gentium in gentes, hominum in homines, ciuium in ciues, Christianorum in Christianos, horumque in gentiles, atque illorum in hos, iniustitiae molimina in lucem protrahentur meridianam, diuinaeque ac humanae exponentur indignationi. De hac re ardua, et philosophorum lapide profecto longe pretiosiori, de summo uidelicet iurisprudentiae diuinae capite, diu multumque * cogitauj, nec sane munera mea publica, ius docendi dicendique, mihi hic impedimento esse possunt, cum usu potius quotidiano intelligam, quanti intersit, firmissimo fulciri iuris naturae principio, ac meditationes istas magis magisque liberari a scholastica et umbratili opera.

§. III.

* Add. Progr. inaugur. de Palma Mineruae, in iurisprudentia nondum occupata, A. MDCCCXXX. occasione professionis Jur. Sax. Ordin. obtentae, scripta, p. 22. sq.

§. III.

Sola gloria diuina moralis norma continetur uniuersalis, sine qua homines, quod ad animum, imperfecte forent creati.

PERSVASISSIMVM uero, omnique rationis usu, et cogitandi ui exploratum expertumque habeo, GLORIA DIVINA regulam contineri actionum moralium omnium maxime uniuersalem, certissimam, clarissimam et sanctissimam, atque, hic, neque minus, neque plus, quam iuris naturalis principium, omni exceptione maius, postulat, uerum esse, demonstrandum nunc est. Forent sane homines imperfecte, quod ad animum, creati, si morali quadam actionum norma essent destituti, cum nec bruta sine naturali agant ordine, neque subsistere queant, sed necessario sequantur naturae ductum, sine omni moralitate, non tamen sine omni intellectus ope et uoluntatis usu, alioquin pro mera reputanda forent materia, omnis actionis experte, et tantum passionis capaci. E contrario hominum praestantia est, ut libere omnino agant, et uoluntatem, qua pollent, liberam, quamcunque in partem placeat, dirigere possint, non uero eadem est intellectus humani libertas, quippe qui non potest non cognoscere necessario, quodcumque sub eius cadit facultatem. Verum uoluntas ubique libera manet, siue bonum eligat, siue malum, qua quidem ratione id potissimum efficitur, ut actionum moralitas existat, atque illae, censurae iustitiae subactae, homini, uel-

uti actionis suae auctori, imputari queant. Hanc agendi libertatem, salva humana indole, non potest tollere Deus, sed eandem uel rationis usum dirigit, uel, positis potentiae humanae terminis, impedit. Quare, quemadmodum ordo naturae in reliquis regulam sequitur necessariam et immutabilem, quam posuit creator; summusque omnium rerum auctor, ita quoque mutabilis ac mobilis hominum uoluntatis regula opus est immutabili, quae libertatem uolendi ac nolendi, a brutis alienam, in homine probet ac distinguat.

§. IV.

Deus non, nisi suae gloriae causa, agit, quem sancti creaturae probant omnes, hominibus ergo, deserere eum, aliamque sibi eligere
moralis uoluntatem, nefas est.

Si quid uerum, hoc certe uerissimum est, normam illam non, nisi a fine, propter quem Deus omnia creauit, petendam esse. Porro quoque, certissimum est, Deum non, nisi propter se ipsum, et sui ipsius causa, semper egisse, semper agere, semper acturum esse. Quemadmodum enim summum inferiori nec subesse, nec cedere potest, quin minatur illud, diuidatur, multifletur, frangatur, neque inferiori contineri summum, oceanus flumine, ita Deus, ens summum, suas agendi causas, non, nisi in se ipso, potest figere ac finire, easdem ex effectis et creatis retrocare ad primam sui originem, ut primus Dei finis et ultimus

coniungatur, semperque maneat unus idemque. Finis itaque, propter quem agit Deus, est GLORIA eius propria, qua rei conuenientior, et, qui ueritati magis congruus fit, non datur, neque ulla sanae mentis facultate contrarium potest fingi. Etenim diuinissimum Numen non, nisi sui honoris suaeque gloriae causa, suo iure absoluto egit, agit, acturumque semper est, in hunc quidem modum, ut e manus suae operibus et actionibus suis uniuersis *praepotentiae, summaeque sapientiae* atque *ineffabilis benignitatis*, ueluti tria, eademque perfectissima perfectionis suae documenta ac uestigia, elucescant atque in mentis humanae oculos incurrant, habeantque homines, ratione praediti, uberrimam sanctissimamque cogitandi materiam, normamque certissimam et perfectam. Homines ergo, nisi facultate cogitandi sese penitus exuere, aut eandem prorsus suppressere, uel agere uelint contra naturam suam, non possunt non plene cognoscere, ac persuaderi firmissime, Deum, quem ipse habet, finem, in operationibus suis, mutare nolle, nec posse, sed illum uelle continuatum, sicuti in omnibus creaturis, ita maxime et eminenter ab hominibus, in actionibus suis moralibus. Nefas ergo est homini, deserere Dei finem, et eligere alium, qui aduersatur diuino, et homo, talem sibi sumens libertatem, Dei finem deferendi et sibi eligendi alium; Deo ipsi libertatem, ponendi legem uoluntati hominum liberae, uocaret in dubium,

et assiliret contra illam, uereque negaret Deum, ipsum, eiusque imperium, cum in creaturas, tum potissimum in mentem humanam certissimum atque absolutum, quod tamen ab homine, nisi simul uitam suam neget, fieri nequit. Vitae lenim concessae et conseruatae causa omne nititur imperium diuinum atque humanum, illi subordinatum ac secundum.

§. V.

*Dei imperio subest uoluntas hominis libera, cui normam posuit
moralem Dei finis.*

QUODCUNQUE enim rei dat existentiam atque essentiam, summum est, cui nihil deesse potest, quod ad sustinendam summam suam eminentiam pertinet. Quare, quemadmodum homini in ens summum, quod, se ipsum haud esse, sponte confitebitur, nullum imperium competere potest, ita quoque, agnito hic atque admissio Dei summo iustissimoque imperio, actiones hominum liberae neque subduci, neque aduersus ipsum Dei finem dirigi debent, adeo quidem, ut hominibus, deserto Dei fine, alium eligere, ac non tam Dei, quam sui causa, acturis, uehementer obstet summa in adiecto, quod aiunt, contradictio. Cum homo, quod ad uoluntatem quoque attinet, ens sit maneatque dependens, cuius libera uoluntas legitimo rationis usu flectitur et inclinatur ad finem Dei, hominibus natura et ratione patefactum, ut hi commune illud omnium creaturarum officium,

in ipso) uelut gloriæ diuinæ præcones et interpretès, collatum, suo omnisque creaturæ nomine sancte et eminenter impleant. Hoc demonstrato, omne quoque moralitatis actionum humanarum fundamentum demonstratum est. Omnes igitur actiones hominum morales eo debent collineare, ut Numinis summi finis, qui non, nisi eius continetur gloria, obtineatur. Ut enim est uetissimum, diuini Numinis operationibus alium finem, quam eius gloriam, haud conuenire, ita nec in actionibus hominum moralibus alia regula et, quæ gloriæ diuinæ aduersetur, admittenda est, siquidem homo a Deo hoc creatus est consilio, animique facultatibus instructus, ut cognoscat eum, cognatumque glorificet. Atque hoc tam uerissimum est, quam e contrario falsissimum, hominem creatum esse, ut ignoret Deum, eandemque actionibus suis dehonestet.

§. VI.

Gloria diuina est aestimatio necessaria perfectionis diuinæ, quam homo, suæ conseruationis causâ, ex rerum natura necessario cognoscit.

EST UERO DEI GLORIA perfectionis diuinæ AESTIMATIO, pro possibili captu humano, necessaria, et pro uirtute uoluntatis humanæ efficax. Haec singula explicatius nunc danda, ut de assertionis ueritate eo apertius constet. *Perfectum* sine dubio est omne illud, cui in sua essentia et in suo genere nihil

deest. Ita omnia ac singula, a Deo producta, perfecta sunt non solum in sua essentia determinata, sed suo quoque modulo probant communis suae causae perfectionem *absolutam* in essentia, sine genere. Haec non potest non esse diuina, ideoque aeterna, quae omne, quod in sapientia, praepotentia ac benignitate summum est, complectatur, quaeue intellectum humanum eo minus fugere potest, quo facilius homines, in se ipsos ceteraque omnes creaturas intuentes, tria ista perfectionis diuinae ueestigia ac documenta intelligunt, sin sponte intelligere nolint, uim inferre sanae rationi, sensumque communem negare prorsus illos oporteret. Hominum ergo est, illisque dignissimum, ut, perfectionis diuinae cognoscendae causa, rerum naturam inuestigent, explorent, rimentur, eiusdemque qualitates, uere occultas, nulla mentis uicinas, admirentur magis, quam recludere uane cupiant, atque in se incipiant ipsis, nullamque negligent animi ac mentis facultatem. Et quamuis tam erectae mentis esse nollent, inuiti tamen, ad id sese compulsos, sentirent, ut, quae et qualis uel utilitas, uel noxa rebus omnibus ac singulis insit, suae conseruationis causa, studiose explorent, necessarioque discant, quid possibile sit, quid impossibile, quid uiribus suis maius, quid inferius. Atque eo magis necessario instituendum est hoc rerum examen, quo minus sine illo uiuere licet homini ac saluo esse, siquidem homo sibimet ipsi non suf-

ficat ad uiuendum; seque incolumem seruandum, sed indiget rebus extra se positis, quarum copia innumeri generis ac dissimilis naturae circumdatus est. Has omnes non potest non ille explorare, earumque penitus excutere naturam, ut, horum, quae conducant, eligere usum, vitare autem nociua, ualeat. Hoc suo fieri Marte et ope intellectus humani oportet, ne homo socors bruta libentius assuere magistros, quam sua mentis erectioris facultate uti, uelle uideatur. Non tamen homines arcendi penitus a scholis brutorum, cum his illorum sapientia, salua ceteroquin sua eminentia, et confirmetur, et augeatur, imo, qui brutis peius ac imprudentius agunt, rationis usum exuunt, et ne brutorum quidem speciem retinent, in monstra generis humani ac totius naturae, atque in dedecus optimi creatoris degenerantes. Suis ergo intellectus uiribus homo hic agat, necesse est, fidatque suis sensibus, et, intelligendi studiosus, rerum percutrat naturam, sui ipsius causa, et tum plenissime persuadebitur, absoluta se perfectione omnino destitutum esse, multoque minus, eandem reperiri, credet, in reliquis creaturis, hominis perfectioni postponendis.

§. VII.

Ex effectuum perfectionibus, ad istorum essentias restrictis, colligitur absoluta Dei perfectio atque indubia existentia.

CONSEQUITVR inde necessario, dari originem omnium

rerum communem, et causam aliquam perfectissimam, et quae dimanauerint omnes effectorum perfectiones, ad singulorum essentias restrictae, quae tamen omnes coniunctae, et ad unum ens reuocatae, demonstrant et euincunt perfectionem absolutam unius entis summi, ac Dei existentiam. De hac ergo ueritate dubitare uelle, summa foret, eademque admodum affectata stultitia, temeritasque execrabilis. Summe stultus et temerarius iste homo hoc saltem concedet, se haud condidisse mundum, nec se ipsum, neque ortum uitae, neque exitum a sua pendere uoluntate. Qui plura et maiora hic desiderant argumenta, ineptiis oblectantur, et, in fraudem ueritatis simplicis, luxuriose et libidine philosophari gestiunt, patiterque contra generis humani felicitatem ualde peccant, gloriamque diuinam impediunt, dum hic priuata magis uitam, spinosis suis argumentis ornata, reliquis uero hominibus impeditam, imentem, quam regiam et publicam, ad ueritatem omnibus facile patentem, sternere student, ut persuadeant aliis penes se hominibus, se certiores esse ueritatem, de qua hic nobis sermo est, quo operosius illa demonstratur, et quo cognitu difficilior sistitur, quoue magis sapientibus paucissimis propria iudicatur.

§. VIII.

*Cognita perfectio diuina actiones morales dirigit ad finem
ac Dei gloriam.*

COGNITA igitur ac perspecta, quoad mens humana ualet, perfectione diuina, homo, qui ueris praemissis conclusionem congruam denegare nequit, sine omni refragandi libidine, fatebitur, perfectionem illam diuinam summam, quam homo mente potest concipere, reuerentiae pretio aestimandam esse, eminentissimoque honore dignissimam habendam, cui quodcunque naturae beneficio, humanaque indole uel benignitatem spargit, uel potentiam sustinet, uel sapientiam spirat, quantum a summo distat inuicem, humanum a diuino, et creatura ab effectore, longissime sit postponendum. Iustissima haec perfectionis diuinæ aestimatio ad dirigendas hominum actiones morales, tam efficax est, ut homo causam, propter quam factus est, probe intelligat, nihil aliud uelle, nihil nolle sese oportere, quam quod Dei fini, gloriaeque diuinæ inseruiat, nec ullo modo aduersetur, atque hoc omne eo maiori necessitate, quo minus Dei finis potest deferri, uel alius eligi, cum utrumque summa foret nequitia et rationi uehementer aduersum. Quemadmodum ergo actiones, gloriae diuinæ inseruientes et conuenientes, exquisitae sunt iustae, ita, ut oppositorum, actiones gloriae diuinæ repugnantes, eidemque detrahentes, iniustissimae sunt. Honorare itaque Deum, pro mentis humanae facultate, iustissimum est, dehonestare uero eundem, iniustissimum, ut in utroque genere, sibi fortissime opposito, maius quoddam non possit excogitari, nec maior detur

ueritas, quam omnes omnino homines, iusto Numinis metu ex-
pergefacti ac perfusi, et ab omni sanæ rationis usu non alieniffi-
mi, in dubium uocare non audent, sed demiffi animi reuerentia
libenter, uti existimandum est, agnoscunt.

S. IX.

*Iuris naturalis et humani definitionem ingredi debet gloria diuina, tan-
quam fons omnis iustitiae, quae non patitur, ut utile iniu-
stum cum utili iusto commisceatur.*

HAEC omnia cum sint uerissima, omnisque iustitiae uni-
uersalissimum constituent fundamentum, inde sua sponte fluit *iur-
is naturalis definitio*, omni exceptione maior, quod illud sit
*uoluntas Dei, humanam uoluntatem, usu rationis, dirigens ad
gloriam diuinam. Ius uero humanum est uoluntas summae pote-
statis ciuilis, legitime patefacta, ciuium actiones morales diri-
gens ad salutem publicam, gloriae diuinae subordinatam.* Nihil
hic positum, quod uulgi captum excedat, intellectu difficile sit,
et operosa eruditaque egeat demonstratione. Ab his enim abhor-
ret simplicitas iuris naturalis, qua se commendat captui homi-
num, communique intelligentiae facili, ad excludendam omnem
iuris ignorantiam. Etenim, quam diu ius naturae suae non reddi-
tur simplicitati, et ab omni gentili corruptione, uanaque eru-
ditionis ostentatione plenissime uindicatur, hincque restituitur
natiuae integritati, tam diu sanctissima illa res, eiusque summa

praestantia et utilitas publica pariter ac priuata omnino ignoratur, operaque et oleum perditur, in nobilissima hac disciplina atque omni iustitiae examine. Deum summo honore, summaque gloria dignissimum esse, gentiles uno ore fassi sunt omnes, cultum uero modumque honorandi effinxerunt pro lubitu, neque iustitiae originem a *gloria* petierunt *diuina*, in utilitatis ratione, honestate temperatae, subsistentes, de genuina iustitia non dubitarunt amplius, nec solliciti fuerunt. Merito quidem concedendum est, quodcunque uel reipublicae conducit, eiusdemque, aut hominum pariter, ac ciuium salutem felicitatemque publicam et priuatam promouet ac munit, uel perniciem, destructionem interitumque amolitur, illud gloriae diuinae nequiquam aduersari, eidem potius inseruire, quoniam, haec omnia ita fieri, gloria diuina omnino postulat, secus autem agi non patitur, neglectamque cum hominis, tum ciuium conseruationem uehementer reprobat, grauissimeque damnat. Sed, ut ne ignorent homines, ita utiliter agendo, iustene, an iniuste agant, cum non omne utile mox quoque sit iustum, sed saepenumero iniustum, magno-pere interest iustitiae uniuersalis, cui omnem iustitiam reliquam subordinatam esse oportet, probe intelligi actionis iustae naturam et indolem.

§. X.

*Verumque distingui accurate non potest, quoad ignoratur genuina iustitia
uniuersalis, quam honestatis ratio turbat, toleranda tamen
pro imbecillitate humana.*

HAEC praedicari potest non, nisi de homine, qui et legem scit, et consilio studioque eidem obtemperandi, secundum illam agit. Non ergo datur actio iusta ex ignorantia, et sine consilio iuste agendi, et, quoad ignoratur, aut negligitur firmissimum iustitiae uniuersalis fundamentum, certe utile iustum ab utili iniusto, quemadmodum, uerae iustitiae cognoscendae causa, par est, distingui non potest, neque constare, de genuina iustitia, quippe quae omnis utili continetur iusto, et reprobatur omne utile iniustum. Quare ius naturae utile inculcans, huic utilitatis, brutis etiam admodum naturali, studio, non, nisi in gloriae diuinae necessitate, terminos posuit, ductu rationis inuiolabiles. Hos ignorabant, sua quidem culpa et foecordia, gentilium sapientes, ignorare quoque uidentur alii, illorum erroribus cum oblectatione irretiti, ad unum fere omnes, certo destituti fundamento, inter *utile iustum* et *utile iniustum*, terminos, pro lubitu et arbitrio suo, ponunt, ideoque non possunt non tradere iustitiam, mirifice distortam ac distractam, quae, quo sanctior est, eo sane funestius hoc affligitur malo. Cui ut mederi uideantur, tegantque simul imperfectam, dubiam ac fluctuantem iustitiae intelligentiam, ad *honestatis* rationem confugiunt, et, uarias actiones morales,

quas arbitrarias uocant, iuris naturae imperio eximentes, libero uirtutum exercitio illas relinquunt, quae, sine legali necessitate, in eam eliguntur partem, ut uirtutum laudem honoremque apud alios ac praemia, sine omni iniustitiae dedecore, et poenarum metu, mereantur. Atque haec honestatis explicatio ueteribus philosophis et ICtis admodum comprobabatur, et quidem optimo consilio, ut, deficiente, uel potius ignorata legali necessitate, homines, laudis et honoris sua natura cupidissimi, ad actiones heroicis et egregias, reipublicae proficuas, eo alacriores, intentiones promptioresque redderentur, atque expectationem superarent communem, fierentque laude ac decoribus immortales. Et enim homines indole sua ita nunc comparati sunt, ut multam officiorum scientiam auerterentur, ipsisque, prae legali agendi necessitate, perplaccant actiones *arbitrariae*, arrideatque sui honoris aucupandi et amplificandi causa et occasio. Indulgendum igitur erat imbecillitati humanae, et, e duobus malis moralibus, minimum permittendum, ut homines, si utiliter, simulque perfecte iuste, quemadmodum ius naturae postulat, nollent agere, saltem utiliter, imperfecte licet iuste, agerent, eorumque actiones externe modo iustae euaderent, quae ad salutem publicam et communem sufficere possunt, donec, emendata iustitia, paulloque accuratius intellectis iuris naturae officiis perfectis, pro honestis, actiones utiles, perfecteque iustae, sperari possint.

§. XI.

Iustitia fortior est honestate et, reiectis honesti ac turpis terminis, tantum iusti et iniusti praedicatum retinendum est. Heroicis quoque actionibus iustitiae laus concilianda, damnanda uero idololatria propria.

DEINDE alii aliter honestatem explicant, honestum dicentes esse, quod iuri naturae conuenit, turpe, quod eidem contrarium est. Quoniam ethnici philosophi iuris naturae non tam nim legalem, quam honestatis normam tantum, agnoscebant, nec fortiori, atque honoris causa, quo dignus censetur, qui honeste agit, ius naturae fulciebant. Sed sine dubio iustitia fortior est honestate, quae, iuxta opinionem gentilem, non, nisi iuris diuini, auxilio humano destituti, libero implemento continetur, et uirtutum campum aperit. Praestat uero abstinere a terminis imperfectis in re perfecta, iure uidelicet naturae, perfecta tradente officia ac legalem imponente necessitatem. Itaque, reiecto potius honesto ac turpi, retinendum iusti atque iniusti praedicatum, cum ius naturae, legitime intellectum, arbitrarias actiones non admittat, sed, quod hoc iure licitum est, in illam quoque partem dirigi oportet, quae propior est Dei fini glorioso, secundum imperium istius iuris internum, perfectum. Quare, qui ita iuste agunt, nec facultate ac licentia secus agendi perfecta, aut imperfecta, more uulgari utuntur, neque clanculo contra ius naturae moliuntur, aliis suam com-

probant iustitiam internam, praebentque imitationis exemplum, et eo maiori *iusti* honoris laude digni, eoque praestantiores censendi sunt, inter reliquos homines et ciues, quo minus iuri naturae, in tanta hominum imperfectione morali, displicent eiusmodi iustitiae incitamentis, ueluti internae documenta ac praemia. Videtur quoque iustum maioris esse pretii ac praestantiae, quam honestum, quod genuini iuris naturalis ignorantia maxime produxit. Hoc sane, nisi gloriae diuinae subigatur, ferendum esse non uidetur, sed eliminandum e doctrina iuris naturae, quippe quod omnem hominum ambitionem, gloriae diuinae haud subtractam, omnemque idololatriam propriam reprobat ac damnat, quoniam illa fini Dei aduersatur, hominem auocat a gloriae diuinae studio, eundemque, in se ipsum defixum, detinet, ut non, nisi hic, sprete omni norma morali, sui ipsius causa agat, quod neque sine offensione Numinis diuini, neque sine stultitiae documento, fieri potest. Hominum enim est, ut, iuste acturi, non, nisi gloriae diuinae causa, agant, nullumque sibi appetant honorem proprium, a flagrantissimo gloriae diuinae studio alienum. Paulo aliter existimandum est, de *actionibus heroicis*, egregiis et gloriosis, quae plurimorum hominum sortem communemque expectationem superant, generique humano et reipublicae praestantissime et eximie profunt. Hae tamen publice utilissimae sint, omniumque applausum mereantur honorificum, ac praemiis rei-

publicae dignissimae merito censendae, illis tamen iustitiae laus non competit, nisi profectae sint a uoluntate glorificandi Numen diuinum, quod eo modo, si iuste hic agendum sit, fieri intelligitur, ut homo patefacere studeat praestantiam suam, longe eminentem, a Deo acceptam, eandemque aliis testificetur, et probatam det, gloriae diuinae prodendae et amplificandae causa.

§. XII.

Unus, constans et immutabilis Dei finis est, cum in creatione, tum in conseruatione, patefactio uidelicet gloriae suae, qui gloriosus Dei finis retinendus ergo quoque est in actionibus moralibus.

SED nunc ad uniuersalem conuertimur demonstrationem officiorum, quae caput iuris naturae primum constituunt, summamque dimanant ex fonte iustitiae uniuersalis, supra demonstrato. Primum hic supponendum est, in operationibus Dei non dari finem primum, intermedium et ultimum, sed semper tantum unum, cum absoluta Dei perfectio plures non admittat, unum uero absolute perfectum sit, cui nec aliquid addi opus est, nec demi potest. In utraque diuina operatione, quam humana percipit ratio, in rerum uidelicet *creatione* atque *conseruatione*, tria quidem spirant perfectionis diuinae attributa, *sapientia summa, eminentissima praepotentia, et maxima benignitas*, attamen in unam, eandemque summam, perfectionis diuinae aestimationem conspirant omnia, et, per necessariam gloriae diuinae causam

omnibus creatis rebus, in primis uero efficaciter hominibus impressam, unum illum Dei finem extra omnem dubitationem ponunt. Quemadmodum autem Deus finem suum semper retinet, semperque, sui honoris causa, agit, neque, salua sua perfectione absoluta, et rerum natura, finem istum mutare potest, uel deferere, aliumque eligere; ita quoque, cum in hominibus, tum in omnibus rebus creatis, hic Dei finis penitus indelebilis sit ac maneat, necesse est, indeque necessario consequitur, Deum certissime uelle, ut homines actiones suas morales, quemadmodum bruta et res inanimatae, naturalem suum ordinem, gloriae diuinae causa, seruant, ad eundem finem dirigant, in primis uero essentiae suae perfectionem, cum aliis perfectionibus in essentia sua et in genere collatam, cognoscant, iusteque aestiment, sedulo cauentes, ne mentis animique facultatibus pollere frustraneis uideantur. In te ipsum intuens, mox admiraberis opus diuinae manus, summique artificis omnibus creaturis uiuis longe excellentissimum, quod tu ipse es, et, quodue Deus tibi met ipsi totum concredidit ac demandauit, ut te ipsum, diuino nutu, cures, ad te conseruandum, custodiendum ac defendendum, quamdiu illorum facultas tibi suppetit, uel, illa non sufficiente, aliena adiuueris ope, donec esse desinas. Sunt enim in Deo creatio et conseruatio semper coniunctissima, cum creationis finis sine conseruatione obtineri nequeat, et creare, moxque tollere, omnem

remoueret finem, forent quoque contraria et inuicem pugnancia maximaque contradictio in adiecto, si quid eo fieret consilio, ut non fieret, aut factum esse, haud intelligatur. Hoc ergo a sanctissimi creatoris sine uehementissime abhorret, qui potius diu-nissimo consilio omnibus rebus creatis, pro naturae suae men-sura, talem attribuit durationem, quae ad finem obtinendum sufficeret. Hanc ueritatem omnium rerum natura abunde probat duratio ista, in singulis licet creaturis dissimilis sit, minor alia, alia maior, donec redeunt ad primas suas naturas, quae nec per se aeternae esse uidentur, cum suum habeant initium, et finis earum pendeat a creatoris uoluntate.

§. XIII.

Gloriosus hic Dei finis, in brutis, instinctu naturali, ab hominibus, norma moralis, obtinendus est, hoc uero neglecto, molitur homo contra gloriam Dei.

QVEMADMODVM ergo duratio finē creationis euincitur, ita quoque conseruatio, qua nititur duratio, ex uoluntate Dei aequae necessaria est. Huius curam et solertiam brutis instinctus naturalis imponit, dum haec omni nisu sese conseruare, e contrario oisnaem laesionem ac destructionem omni conatu auersari conspiciuntur. Sed humano generi maxima fieret iniuriā, eiusque praestantiae ac dignitati ualde detraheretur, si necessaria hominibus incumbens conseruatio sui ipsius, e brutorum more et instinctu naturali, uel ab eorum imitatione, peteretur. Nec me-

liora sequuntur ex amore sui ipsius, hominibus, uti dicunt, conato, qui conseruationem propriam producat, siquidem hic amor et haec conseruatio in homine debet esse actio moralis, quae non tam naturali, quam legali necessitate et liberae uoluntatis usu, aestimatur. Ut itaque conseruatio sui ipsius, ductu iuris naturalis, non solum *utilis*, uerum etiam *iusta* sit, eiusdem iuris uinculum demonstrandum hic est, quo ad se conseruandum constringitur homo tam arcte, ut, secus agens, *iniuste* agat, et molitur contra iustitiam diuinam, Deique gloriam. In ipso Deo conseruatio est medium obtinendi finem, cui aduersari non debet homo, ea enim de causa hic sibi met ipsi commissus est a creatore, ut se, ueluti eius opus artificiosissime constructum, quam diligentissime curet et conseruet, eo quidem consilio, ut, conseruando se, non more brutorum, et ex instinctu naturae, sed, uoluntati diuinae satisfactorius, iuste agat, siquidem euidenter uerum est, Deum honorari ab homine, si hic se ipsum, ueluti illius opus, perfectionis diuinae plenissimum, a uide cognoscat, magni censeat, impense amet, et omni conseruationis cura ac studio dignum habeat, sin hanc Dei causam, sibi met ipsi coniunctissimam, ordine inuerso, agat, se ipsum studio ignorando, uilipendendo, odio habendo, destruendo, et, quem conseruet, indigne censendo, brutis peius et contra naturam ipsam legemque naturae molitur, et Deum ipsum manifestissime dehonestare, omnique gloria exuere audet.

§. XIV.

Honorare ergo Deum, summa est iustitia, dehonestare uero eundem, summa iniustitia, speciatim in officiis erga se ipsum, ubi omnium maxime gloriae diuinae refragatur autochiria.

HAEC duo extrema, sibi grauissime opposita, certissimum uel iustitiae in primo, uel iniustitiae, in altero, ob oculos ponunt fundamentum, ex quo omnia reliqua iuris naturalis, cum praecipientis, tum prohibentis, capita, quod ad *hominem erga se ipsum* attinet, prono alueo dimanant, quibus tamen omnibus ac singulis, uel summatim indicandis, uel fusius explicandis, immorari hic non licet, cum, iuris naturae genuino ostenso fonte, instituto satisfecisse uideamur. Hoc tamen apprime hic monendum ducimus, nefandum *autochiriae* crimen proaereticum omnium maxime repugnare gloriae diuinae, benignissimique uitae humanae auctoris fini, cunctis reliquis creaturis sanctissimo, atque honori, ut illud pro summa perduellione, summoque Dei contemptu et dedecore iure meritoque reputandum sit. Nulla enim homini in se ipsum, ueluti in Dei creaturam, saeuendi competit licentia, quia, hoc, sine summa diuini artificis concumelia, fieri non posse, facile intelligitur. Pone exemplum hominis, ualde eruditi; aut exquisiti artificis, qui tibi doctum aliquod scriptum, aut carmen elegans, ut legas, et auctoris diligentiam et doctrinam reconditam, inde cognoscas, tradit, et opifex opus artificiosissime factum, tibi porrigit, ut eius admireris artificium,

tificium, tu uero, coram hoc uel illo, scriptum et carmen in caminum aut foculum coniecis, aut ad impuros usus adhibes, et opus artificiosum ad pedes artificis, aut per fenestras foras proiecis, aut alio modo illud studio destruis et corrumpis, quo pacto tu poteris dubitare, et doctam hominem et artificem summa contumelia, maximoque contemptu abs te esse affectos. Multo uero magis *de autochiria*, non solum *crassiori*, uerum etiam *de subtili*, qua homo se ipsum, adeoque opus Dei, destruit, existimandum est, hoc fieri non posse, sine summo creatoris contemptu, adeoque iure naturali ualde prohibitum esse, cum nihil magis, hac sibi in se ipsum sumta licentia, Dei fini glorioso refragari possit. Quare, quo euidentior est haec ueritas, praestructo uidelicet a nobis genuino iuris naturae principio, eo intolerabilior est cum ueterum, tum recentiorum, de autochiria prohibita, fluctuans sententia. Hoc sane certissimo est documento, in doctrina et cultura iuris naturalis, sine uero principio, clarissimas quoque ueritates ignorari, nec solide posse demonstrari. Est itaque, quod ad officia hominis erga se ipsum attinet, iuris naturalis hoc summum praeceptum, *studiose te ipsum conserua, nisi que omni destructionem tuam auerte. Si enim secus feceris, Dei finem deseris, et eundem non continuas, sed creatoris tui gloriam, cuius causa hic te creauit et conseruat, pessundare, et prosteruere conaris, teque humana sorte reddis indignum.*

§. XV.

In officiis erga alios iuris uel praeipientis, uel prohibentis, ex fine Dei duplex seruanda est regula, quarum principalem tradidit Seruator optimus, iuris quoque naturalis diuinitus datus doctor.

POSSUNT denique eadem facilitate *officia* quoque hominis *erga alterum*, et quid quisque aliis post se debeat, ex eodem iustitiae fonte perfectissime deriuari. Est uidelicet praeceptum, de semet ipso conseruando, diuini honoris causa, et, ut homines omnes ac singuli, ipsum illum Numinis diuini finem peraeque seruent et continent, in actionibus suis moralibus, generalissimum et ad totum genus hominum pertinet. Quare, quae homini, se ipsum conseruandi, incumbit iuris necessitas, eadem quoque ipsi imposita censetur, conseruandi et alterum, cum hic idem opus Dei sit, atque ille, et communis Dei finis nulla officiorum inaequalitate debeat turbari, aut impediri, sed illorum aequalitas officiorum seruanda, in praeceptis iuris naturae, cum *affirmatiuis*, tum *negatiuis*. In his quidem, ueluti ad demonstrandum fortioribus, regula ponitur, *quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris*. Ita enim, uel in alios nihil moliendo, uel alios haud negligendo, conseruationi propriae consulitur optime, ut aliorum insultus et machinationes perniciosae, destructionem minitantes, declinentur, uel alii ab auxilio ferendo haud deterreantur. Sed *affirmatiuam* regulam, a fine Dei directo petitam, *facias alteri, quod tibi ab hoc fieri uis*, generis humani Seruator

optimus maximus, iuris quoque naturalis egregius instaurator ac doctor, ob oculos proposuit. *Negatiua* regula perpetua est, et hominem semper arcet ab aliis nocendo, ne uicissim hos, ad ipsis inferendas noxas, prouocatos uelit. Facit ergo haec regula oppido ad cauendas noxas et destructiones. *Affirmatiua* uero spectat ad mutua illa officia, quae alter alteri, suae conseruationis causa, quoties hic illis indiget, praestare tenetur. Est enim haec principalis, ex qua negatiua infertur, et eo praestantior, eoque magis necessaria, quo procliuiiores sunt homines ad illam negligendam. Verum utraque regula non liberi est arbitrii, neque nudi consilii rationem aut prudentiae suasionem habet, sed iuris necessitate ubique nititur. Quare, *quicumque alterum conseruatione dignum non censet, nec, data occasione, eundem conseruat, licet hoc, sine suae ipsius conseruationis periculo, facere possit, Deum contemnit ac debonestat, cum huius opus contemnit negligat.*

§. XVI.

Aliorum auxilio renuntiari haud potest, ut quis illud aliis iuste possit denegare. Est quoque misericordiae exercitium, ductu iuris naturalis, necessarium.

DEI porro finis non patitur, ut quis, suis fretus facultatibus, aliorum auxilio nuntium mittat, quo se aliis subueniendi obligationi subducatur, quoniam uoluntas Dei perpetua est, eiusque fini semper conueniens, ut homo homini, de sua conserua-

tionem argenti, succurrat, eundemque perire, quoad hoc, sine suae conseruationis periculo, fieri potest, haud sinat. *Misericordiae* laude, uulgo comprobata, multum hic effici posse, existimatur, quam uero paucissimi appetunt, plurimi potius, inuito iure naturae, uarias sibi effingunt ab ista regula exceptiones, ualde suspectas, ut modo humanitatis officia iuste subterfugere sese posse, uideantur. Imperii certe humani impotentia neminem, contra ius naturae nitentem, consolari poterit, cum diuini iuris imperium in hominum conscientias omnino perfectum sit, neque hoc uulgari illa, eademque satis ignominiosa, distributione iuris diuini, in perfectum et imperfectum, dedecorari diutius conueniat, neque, in tradendo sanctissimo hoc iure, corrupto gentili more uersari liceat. Nam *misericordiae exercitium* erga alios, secundum Dei finem, supra expositum, *necessarium* est, nec misericordiae laus inter homines probanda ante, quam diuinae uoluntati legitime satisfactum sit.

§. XVII.

Collidentibus inter se officiis erga se ipsum et alterum, omne id faciendum alteri est, quod, salua propria conseruatione, fieri potest, ne hic pereat.

SED, nunc de utriusque generis officiorum collisione dicendum est. In hac fini Dei glorioso maxime consentaneum est, ut alterius conseruatio propriae sit secunda et subordinata, et quisque sibi proximus, custosque domesticus, cui, stationem

aem suam negligere, nefas est, nisi hoc, salua illa, et in usum alterius necessarium, fieri possit. Quilibet enim suae facultatis ac indigentiae optime gnarus creditur, dubius uero, de alterius conditione, in actionibus autem moralibus certo postponitur dubium. Deinde Deus cuius homini absolutam ac singularem sui ipsius custodiam et curam imposuit, quae, si referatur, ex fine Dei, ad alterum, magis communis et hypothetica est, pro uirili, quam singularis, absoluta, ac pro integra facultate. Quoad itaque propria non periclitatur conseruatio, alter alterum omnibus modis et uiribus adiuuare debet, ut hic peraeque, sua conseruatione, Dei finem obtinere ualeat, atque omnia conspirent in diuini Numinis gloriam ac prorsus nulla in summum Numen contemptus abominabilis erumpant documenta. Haec conseruandi alterum communis quidem tantum est obligatio, quae omnibus reliquis hominibus pari simul ratione incumbit, inde singulis diuisionis beneficium competere uidetur, sunt quoque nonnulli, u. gr. consanguinitate, aut singulari amicitia, coniuncti, praeter ceteros, obstrictiores ad conseruandos suos amicos, aut sanguine propinquos. Dei finis primum, qui alterum periturum inuenit, optimum probat, qui hunc conseruet. Contra ius naturae omnem reprobatur moram, periculi plenam, pariterque omne studium elabendi officio erga alterum damnatur, patitur tamen, imo imperatur, conuocationem aliorum, si uel primus solus,

ad conseruandum alterum, certissime non sufficiat, uel, expectato aliorum aduentu, conseruatio alterius periclitantis non fiat difficilior, aut reddatur impossibilis, e. gr. coorto in aedibus uicini incendio. Sin plures alii eodem tempore adsint, aut conuocati uenerint, omnes uero ac singuli auxilium abnuant, nec quisque illorum, neque primus, neglecto ab istis humanitatis officio, alterum in periculo constitutum deserendi, eidemque auxilium denegandi consequuntur licentiam. Exacte huic iuris naturalis placito, approbante ipso Seruatore optimo, satisfecit Samaritanus ille in euangelio, prae duobus illis, summe afflictum praetereuntibus, quos etiam sine lege naturae misericordes esse oportuisset. Vel solo hoc exemplo clarissime doctum est, quam studiose et impense impleri debant officia erga alterum. Grauius ergo peccatur contra ius naturae, si u. gr. pauper ualde aegrotus, uel femina grauida, instante partus tempore, uel alij homines miseri, aut non recipiantur, aut eiiciantur, ac legitime non curentur, omnique destituti humano auxilio, perire sinantur. Et quis numeraret innumera iuris naturalis impudenter neglecti exempla. Proh dolor, quos corruptos mores, et quanta iniustitiae monstra inuexit iuris naturalis genuini incititia. Huius enim rigor, ueraque sententia, hominum arbitrato et beneplacito temperari non potest, sed stabile illud firmumque semper est, et ubique manet, et perfectum officiorum implementum ab homi-

quibus postulat, neque obedientiam remittit, ob plurimorum quoque hominum reatum, aut socordiam. Peccatur itaque contra ius naturae omnibus illis modis, quibus aliquid fit, uel omittitur, quod mox, aut sensim paullatimque, alterius conseruationem impedit, aut eius destructionem promouet, quod ad tranquillitatem animi, sanitatem corporis, existimationem bonam et patrimonium eius attinet. Sane eo grauius, eoque magis uere diabolice peccatur contra ius naturae, si alter alteri, sola libidine et cum oblectatione, noceat, nullo licet inde sperato commodo et compendio.

§. XVIII.

Homo, quoad Dei opus manet, reliquorum auxilio conseruandus est, nec propria indigentia temere praetextenda, nec ulla alia subterfugendi causa iuri naturali comprobatur.

ATTAMEN, ne hic hominibus, officium suum erga alterum pro lubitu coarctare et interpretari, liceat, legitimi certique termini positi sunt, quos obligatio conseruandi alterum non egreditur. Videlicet primum salua esse debet conseruatio propria, cui nihil detrahendum est, deinde, quodcunque facultatis uiriumque reliquum est, ad alterius conseruationem conferri, uult ius naturae. Verum hanc simplicem ueritatem uariis subterfugiorum anfractibus implicare solent homines, ut ista erga alterum officia magis ab arbitrio suo quam iuris naturae imperio, pendere uideantur. In hoc corrupto statu plerique, de

propria indigentia, iusto liberalius, statuunt; parum, aut nihil auxilii aliis ferendo relinquentes, in primis, cum ab aliis idem fieri, auxiliumque, in eadem necessitate frangenti, frequenter denegari, animaduertant. Sin propriam indigentiam, sine aliorum irrisione, praetexere nequeant, saltem imprudenter et miuus circumspecte nolunt impertiri humanitatis officium, quo illos censent indignos, qui luxuria, imprudentia, aliaue culpa sua, ad incitas istas redacti, nec meliores sunt futuri. Quod ad primum attinet, cuius quidem suoque arbitrio facultatum suarum examen permittendum est, cum hominum ac ciuium salus, in statu corruptionis, non patiatur, ut patrimonii vires exquirantur, et patefiant, quod propriae quoque conseruationi periculosum foret. Quare non potest non res relinquere iuris naturae imperio, in hominum conscientias interno, quod perpetuo urget, tantum alterius conseruationis causa faciendum esse, quantum, salua propria conseruatione, potest fieri, ita tamen, ut, si quis expleuit officium suum atque facultatem suam, conseruando alios, exhaustit, neque consilio, aut alio modo, amplius quicquam facere potest, tum, quoad obstat iuuandi impotentia, officium humanitatis suspendatur, donec, in conseruandis aliis, pergere ualeat. Quod si uero, in republica, cura publica alendi sint pauperes, opus est, ut iuris naturae imperium lege sulciatur humana, et ciues, uelint, nolint, ad istud humanitatis officium compellantur, facta inter

illos distributione iurili. Haec omnia cum ex lege generali divina, de conseruando quoque altero, necessario fluant, uidentum nunc quoque est, quaenam cautiones et circumspectiones hic diuino iuri comprobentur, nec ne. At breuiter hic reponendum, homo quamdiu conseruatione indiget, Deique opus est, tam diu ualet quoque officium humanitatis erga illum, et omnes exceptiones, supra commemoratae, diuini iuris censuram non sustinent, sed produnt potius autoris iniustitiam internam, animumque iuri naturali aegre obediendi.

§. XIX.

Officiis istis omnibus, fortiora sunt, quae debentur reipublicae. Sed belli iustitia, uel iniustitia, usque uictoriae non, nisi ex Dei sine, diiudicari potest.

HIS, quae debentur alteri, officiis, multo fortiora sunt, quae debentur reipublicae. Ad huius enim conseruationem ac salutem confirmandam publicam, omnes ac singulos conferre oportet, quodcumque in facultatibus ac uiribus situm est, modoque singulari hic officia, erga se ipsum et alterum, coniuncta esse censentur, ut publicis istis, si necessitas id poscat, quoque cedere debeant officia priuata, erga se ipsum. Nam fini Dei magnopere consentaneum est, ut pro reipublicae salute et conseruatione communi, contra iniurias et insultus aliorum, unusquisque ciuium se, et, quod suum est, exponat, uisquē ui repellatur. Sed fini Dei et iuri naturali non aliae comprobantur iustae belli causae.

fae, quam, si una gens alteri reipublicae minitetur destructionem
 et seruitutem, uel iniusta postulatione, uires et media conserua-
 tionis ac defensionis eiusdem infringere et minuere machinatur.
 Postulatio iniusta est, quae nulla alterius conuentione, aut pro-
 missione, nititur, uel alio fundamento, u. gr. damni dati, dene-
 gatae rei innoxiae utilitatis, cet. iure naturali approbato, destituta
 est. Deinde finis Dei, qui ius naturae constituit, damnat inui-
 diam, alterius potentiae, iuste crescenti, et iuste non metuendae, pa-
 ratam multo ergo magis cupidinem augendi et amplificandi poten-
 tiam, cum iniuria et damno aliorum. Hoc fieri, gentium aequalitas,
 iure, non potentia maiori, aut minori, aestimanda, non patitur,
 siquidem omnia humanitatis officia, cum erga se ipsum, tum
 erga alterum, supra explicata, quae inter singulos obtinent ho-
 mines, ad respublicas integrasque gentes peraeque spectant et
 applicanda sunt, quandoquidem integrae gentes singulorum ho-
 minum iure utuntur naturali applicato, quod uocatur ius gentium
 publicum. Huius multa, eademque ardua capita, assumpto genuino
 iuris naturalis principio, mirifice possunt emendari, ut nihil mo-
 liantur gentes, contra gloriam diuinam, sanctissimeque potius in-
 ter sese colant humanitatis officia, quibus totius generis humani
 salus communis et hominum singulorum conseruatio, ad ductum
 iuris naturae, et obtinetur et confirmatur. Fini quoque Dei
 glorioso repugnat, si armorum ui ante, quam, adhibitis arbi-

tris, fociis, amicis, amicabile composuō, omni cura et solertia, tentata est, eligatur. Coorto autem bello, praeceptum iuris diuini, de non laedendo altera, uincitur praecepto, de conseruando se ipso, ac tam diu suspenditur, donec finis conseruationis plenissime obtinetur, et altera gens omnem uiolandi ius naturae suspicionem futuram purgauit et sustulit. Quousque igitur uictori progredi, iure naturae, liceat, ex fine Dei facile colligitur, eo uidelicet non debent dirigi uictoris consilia, ut iure uictoriae abutatur, ad extinguendam delendamque alteram rempublicam, aut gentem, sed, eandem, in ordinem redactam, conseruari in statu suo publico, fini Dei omnino congruit, et uictor, tam moderate iure utens uictoriae, gloriae diuinae exacte satisfacit, et inter homines summam iuris naturalis, sanctissime custoditi, laudem meretur immortalem, atque, ipsum tale quid, animo consilioque obtemperandi iuri diuino et, ut gloriosae illi actioni iustitiae laus concilietur, fecisse, indubio omnino existimandum et credendum est. Summa iuris belli et pacis capita, ad genuinum iuris naturae, quod gentes dirigit, reuocata principium, atque uniuersalis iustitiae fontem, hic sufficiant, nec plura, de hac re graui, proferre attinet, cum, quotquot et qualescunque ad belli ius pertinentes quaestiones, uel moueri possunt, uel in eiusmodi negotiis publicis incidere, stabilito ac praestructo uero iuris naturae principio, mox, sine omni difficultate et contradi-

tionis ratione, definiri queant ac decidi, aliorumque sententiae et opiniones sub verae iustitiae mitti examen.

§. XX.

Pacta finis Dei dirigit, ut sint ius naturae applicatum.

PACTA, de quibus iuris naturae et gentium doctores perquam diligenter exponunt, maximi sunt momenti ac ponderis. His enim homines, deliberato animo, mutua conventionione ac promissione, determinant, quod unus alteri, uel opera, uel re, uel utraque ratione coniunctim, praestare possit, uelit ac debeat. Pactis quidem et conventionibus opus haud esset, si homines iuris naturae sanctiones, probe intellectas, paullo studiosius ac religiosius colerent, sponteque explerent, ac nemo, saltem plurimi, officiis erga alios, quin etiam se ipsos, quae ius naturae tradit, plerumque non deessent. Quare mutuam conseruationis studium ad paciscendum mouet, quo uel spes auxilii alieni confirmetur, uel praesidium domesticum praemuniatur, quantum ad conseruandam salutem, aut reprimendam perniciem, necessarium uidetur. Neque tamen pacta et conventiones directe aut indirecte debent repugnare fini Dei, generali normae morali, neque officia erga se, uel alterum, contra finem Dei paciscendo, abrogari, uel infringi. Qua de causa cauendum sedulo est, ne hic in ius naturae impingatur, quod fieri intelligitur, si homines ante, quam aliis auxilium promittant, uel resti-

tuendum ab aliis aliquid accipiant, ipsam suam indigentiam, praesentem ac futuram, pariter atque omnem suam facultatem, datam seruandi fidem, accurate non examinant et explorant, ideoque non satis deliberato animo paciscuntur, ac deinceps fidem fallere, alterum uero deserere, atque, in subductis conseruationis suae rationibus, turbare coguntur. Quid quod, etiam alterius est, ut explore uideat, cui fidat. Sed, pacto legitime semel inito ac celebrato, utrumque paciscentium rerum suarum ita antea sategisse, credendum est, ut alter alteri plenissime fidere possit. Quod igitur alter promisit alteri, reiecta omni propriae indigentiae, uel alius inopinatae necessitatis, exceptione, exacte faciendum ac praestandum est, quoniam, fidem, propitio iure diuino, datam, fallere, fini diuino repugnat et sulcra conseruationis, aliena fide iuste nixa, subruit et labefactat, cum nihil illo certius sit, quam, sublata, uel neglecta, inter homines, data fide, omnia erga alios officia, quibus gloriosus Dei finis obtinetur, tolli, generisque humani communem salutem praecipitem dari, ac nullam rempublicam subsistere posse saluamque seruari. Pactorum ergo uim merito appellaueris ius naturae, conuentione, secundum Dei finem, applicatum, quod nulli amplius dubitationi ac disceptationi obnoxium est, sed plenum gignit ac tribuit iuris et obligationis effectum, tamque liquidam petendi agendique causam, qua, in societate ciuili, pollet iudicatum. En tibi diductum

ex Dei fine fundamentum obligationis, quae pactis inest, uniuersalis, ab omnibus gentibus agnitae ac sanctae praeprimis semper Germanis. Habes quoque fundamentum certum interpretationis, si qua egent pacta dubia, explicanda uidelicet illa esse, pro eo, qui declinandi conseruationis periculum, et euitandi tale damnum, contra alterum, qui, augendi tantum opes ac potentiam, studiosus atque auidus conspicitur. Aliam enim interpretandi rationem, in causa dubia, finis Dei non admittit nec probat.

§. XXI.

Firmissimum oritur ius ex pactis idque tam expeditum, atque res iudicata est, in societate ciuili.

TANTA cum sit pactorum uis et efficacia, in distribuendis et confirmandis mutuis officiis, ad tollendas eorundem collisiones, atque omnia remouenda subterfugia, ualida, quilibet, iure suo, legitime quaesito, fretus, causa eius, siue ad arma, siue, in societate ciuili, ad iudicem, spectet, ubique diuini humanique iuris fauente utitur auxilio, alter uero, quem datam fidem, iure naturali uolente, iubente, seruare et custodire oportet, dum alteri deliberato animo aliquid pollicitatus est, se ipsum suamque uoluntatem, libere declaratam, contra se agnoscat iudicem, necesse est. Firmissimo hoc iure aliquem destitui, uel eidem, ab implorato iudice, denegari opem, ad obtinendum ab altero iuste petitum, euident ac manifesta haud patitur iustitia. Haec pa-

riter, atque illa, quae, inter ciues, tacito illorum consensu, ex iudicio oritur, ut indubia est, sic nullas fert exceptionum remoras, sed, quam primum fieri potest, executioni debet mandari, nec reo ullo parcendum modo, quo uel actoris differatur petitio, uel iusto hic minus consequatur. Non est, ut hunc iustitiae rigorem mireris, ratus, illam Dei fini repugnare. Quodsi enim remittendum foret de iure, tam ualide quaesito, fideique data tam facile posset fallere ac uacillare, quis pacisceretur cum altero, quis fideret aliis, aliena ope indigentibus, quis denique opitularetur aliis, sine certa spe recuperandi, quod datum et creditum illis est, sub lege et pacto restitutionis, sine qua, ipsius auxiliatoris salutem et conseruationem periclitari, credendum est. Neque audiendus alter, suae conseruationis obuertens necessitatem, cui hic, inuito, de restituendo, pacto, plane renuntiasse censetur. Nemo quoque ad alterius inopiam subleuandam tenetur, nisi hoc, salua sua conseruatione, commode possit fieri.

§. XXII.

Ius rigidum, haud refragante iure naturali, in foro obtinet humano, non tamen datur iustitia, mundi destructrix, sed strictum illud ius identidem, uel interno iuris naturalis imperio, uel legibus humanis, mitigatur.

DEINDE pactorum natura et indoles id omnino urget, ut, quo certior est petentis iustitia, eo maior habeatur temeritas alterius, qui, data fide sua labi, contendit, istumque bonis priuare

fuis cupit, suae conseruationis causa. Maior enim fides habenda est petenti, quam deneganti, in communi illa propriae indigentiae assertionem. Quare iustitia, uel pactis obtenta, uel re iudicata euicta, id uehementer postulat, ut alterius, qui alteri aliquid debet, patrimonium prorsus excutiat, et hic omni iusto modo, ad liberandam fidem, ad satisfaciendum iustae alterius postulationi, humani uirtute imperii adigatur. Hanc praedicant exactam et accuratam iustitiae administrationem, cui locum dari quoque oporteat, si uel maxime mundo pereundum foret. Etenim nimium iustitiae zelum. Iustitia illa, mundi destructrix, sine summo horrore nec audiri, nec cogitari, potest. Non diuina, sed diabolica haec uocari mereretur, si monstrum illud, extra os zelotarum imprudens, in foro existeret. Libenter concesserim, tam grauitate ac strenue uindicandam esse iustitiam, cum in republica, tum extra illam et inter gentes, ubi nemo, ut ius suum, in alterum, missum faciat, aut ab illo desistat, cogi potest. Attamen existimandum non est, imperium iuris naturalis internum hic deficere, et suo destitui robore. Neque, ob imperii humani imbecillitatem, deserendus est Dei finis, antea explicatus, qui semper immutabilis est, et omnes istas hominum conuentiones damnat, quae illi repugnant et detrahunt. Sunt Principes utriusque tabulae, ideoque iuris quoque naturalis, custodes, diuinitus constituti, qui id in primis studiosissime agunt et; si cogendi

uis non suppetat, in uotis maxime habent, ut ciues iuri diuino, cum externe, tum interne, ubique obediant, nec quicquam contra illud suscipiant, alterque alterum, quoad hoc, sine propriae salutis periculo, fieri potest, conseruet, atque omnes inserviant glorioso Dei fini. Huc referri merentur uariae leges ciuiles et sententiae Principum, ex plenitudine imperii dictae, quibus, contra ius rigidum, debitoribus, in soluendo debito, uel temporis laxamentum, uel solutiones diuisae, uel beneficium competentiae, uel alia conceduntur leuamina. Noli itaque credere, tibi, si, contra alterum iure tuo rigido utendum, censeras, imperium iuris naturae, in conscientiam internam, spernere integrum esse.

§. XXIII.

Si ueritati, hic assertae, aliquid, uel deesse, uel obesse, aliis uideatur, humanissime quisque rogatur, ut meliora beneuole nobiscum communicare non dedignetur.

POSSENT adhuc plura, satis ardua, iuris naturalis capita, u. gr. ad connubia, ad officia, inter parentes et liberos, dominos ac seruos, ad hostes et inimicos, item, ad legitimum rerum usum etc. spectantia; maiori lumine collustrari, omniaque ac singula deriuari ex eodem limpidissimo iustitiae fonte, si modo, quae iam prolata sunt, ad examen ueritatis, cum aliis communicandum et iuris naturalis principium, omni maius exceptione, euincendum, non uiderentur sufficere posse, donec, diuina fauente

clementia, sequantur uel uindictiae, si his opus esse uidebitur,
 uel uberiores singulorum capitum enodationes. Quod uero re-
 liquum est, Te, LECTOR BENEVOLE, gloriae diuinæ ami-
 cum, rogamus humanissime, ut conatus nostros mediocres, in
 re tam ualde ardua et graui, aequi bonique consulas, et ueritati
 faueas, aut, si, quam hic proposuimus, sententiae quicquam
 deesse, uel obesse, existimaueris, illud omne, si placeat, ueritatis
 inueniendae et confirmandae gratia, beneuole nobiscum
 communicare non dedigneris.

